



## FESTA NOVEMBRIS

Die 1 novembbris

## OMNIUM SANCTORUM

I classis

AD I VESPERAS

**Ant. 1** Vidi turbam magnam,  
\* quam dinumeráre nemo  
póterat, ex ómnibus génti-  
bus stantes ante thronum.

**Psalmi de dominica 378, sed loco  
ultimi psalmus 116** Laudáte Dó-  
minum, omnes gentes 382.

**2** Et omnes Angeli \* stabant  
in circúitu throni, et cecidé-  
runt in conspéctu throni in  
fácies suas et adoravérunt  
Deum.

**3** Redemísti nos, \* Dómine  
Deus, in sanguine tuo ex  
omni tribu et lingua et pó-

pulo et natióne, et fecísti nos  
Deo nostro regnum.

**4** Benedícite Dóminum, \*  
omnes elécti eius: ágite dies  
lætítiae, et confitémini illi.

**5** Hymnus \* ómnibus Sanctis  
eius: filiis Israel, pópulo  
appropinquánti sibi: glória  
hæc est ómnibus Sanctis  
eius.

**Capit.** **Apoc. 7, 2-3**

**E**cce, ego Ioánnes vidi ál-  
terum Angelum ascen-  
déntem ab ortu solis, habén-  
tem signum Dei vivi; et cla-

mávit voce magna quátuor Angelis, quibus datum est nocére terræ et mari, dicens: Nolíte nocére terræ et mari neque arbóribus, quoadúsque signémus servos Dei nostri in fróntibus eórum.

### Hymnus

**P**lacáre, Christe, sérvulis,  
quibus Patris cleméntiam

tuæ ad tribúnal grátiæ  
patróna Virgo póstulat.

Et vos, beáta per novem  
distícta gyros ágmina,  
antíqua cum præsentibus,  
futúra damna péllite.

Apóstoli cum Vátibus,  
apud sevérum Iúdicem  
veris reórum flétibus  
expóscite indulgentiam.

Vos, purpuráti Mártyres,  
vos, candidáti præmio  
confessiónis, éxsules  
vocáte nos in pátriam.

Choréa casta Vírginum,  
et quos erémus íncolas  
transmísit astris, Célitum  
locáte nos in sédibus.

Auférte gentem pérfidam  
credéntium de finibus,  
ut unus omnes únicum  
ovile nos Pastor regat.

Deo Patri sit glória,  
Natóque Patris único,  
Sancto simul Paráclito,  
in sempitérna sácula. Amen.

**V.** Lætámini in Dómino et  
exsultate, iusti. **R.** Et glo-  
riámini, omnes recti corde.

**Ad Magnif. ant.** Angeli, \*  
Archángeli, Throni et Domi-  
nationes, Principátus et Po-  
testátes, Virtútes cælórum,  
Chérubim atque Séraphim,  
Patriárchæ et Prophétæ,  
sancti legis Doctóres, Apó-  
stoli, omnes Christi Márty-  
res, sancti Confessóres, Vír-  
gines Dómini, Anachorítæ,  
Sanctique omnes, intercédi-  
te pro nobis.

### Oratio

**O**mnípotens sempitérne  
Deus, qui nos ómnium  
Sanctórum tuórum mérita  
sub una tribuísti celebritáte  
venerári: quæsumus; ut de-  
siderátam nobis tuæ propi-  
tiatiónis abundántiam, multi-  
plicátis intercessóribus, lar-  
giáris. Per Dóminum.

**Completorium de dominica** 384.

### AD MATUTINUM

**Invit.** Regem regum Dómi-  
num, veníte, adorémus: \*  
Quia ipse est coróna Sanctó-  
rum ómnium.

**Ps. 94** Veníte 336.

**Hymnus** Placáre, Christe, **ut supra.**

### In I Nocturno

**Ant. 1** Novit Dóminus \* vi-  
am iustórum, qui in lege eius  
meditántur die ac nocte.

### Psalmus 1

**B**éatus vir, qui non séqui-  
tur \* consílium impió-  
rum,